In nomine domini Amen Wladislaus dei gracia Rex Polonie necnon Terrarum Cracovie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyavie Lithwanie Princeps Supremus Pomeranie Russieque dominus
et heres etc. Ad perpetuam rei memoriam Significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris presencium noticiam habituris Quod ob complacencias et grata serviciorum merita fidelium nostrorum Civium
Incolarumque Civitatis nostre Welunen quibus iidem maiestati nostre prompta sollicitudine plurimum complacere meruerunt et ad huc continuato fidelitatis studio nostris suffulti munificencijs ad nostra se beneplacita poterunt con
tinuo reddere prompciores Quorum intuitu cupientes eosdem Cives specialium graciarum prosequi favoribus Volentesque dicte Civitatis nostre Welunen condicionem et ampliacionem ex eo fieri meliorem Ut temporibus felicis
nostri regiminis felicia recipiat incrementa Supradicte Civitati nostre Welunen villam nostram Marzinkowice prope eandem Civitatem Welunen Situatam quam nuper ab Juriano de Czulice emimus cum omnibus eiusdem
ville utilitatibus proventibus redditibus fructibus Agris pratis Campis pascuis Silvis Nemoribus Mericis Gagijs Quercetis virgultis Rubetis venacionibus Aucupacionibus Aquis et earum decursibus pis
cinis piscaturis Molendinis emolimentis Stagnis Paludibus Vallibus et Montibus ac quibuscunque alijs obvencionibus pertinencijs et appendijs ac Juribus proprietatibus et dominijs universis ad ipsam villam Marzin
kowice quomodolibet spectantibus quibuscunque nominibus appellentur nichil penitus excludendo prout eandem villam prefatus Jurianus tenuit habuit hactenus et possedit prout eciam memorata villa in suis me
tis Granicijs et Gadibus ab Antiquo longe lateque circumferencialiter est distincta et eciam limitata Adiunximus adiungimus appropriamus astribimus incorporamus damus conferimus et donamus donacione perpetua et irre
vocabili perpetuis temporibus removentesque in eadem villa omnes modos et consuetudines universas libertatibus ipsius Civitatis Welunen obviantibus ipsamque villam ad perpetuitatem et ydempnitatem Jurium Civitatis pre
advnamus per Cives et Incolas universos sepedicte Civitatis Welunen tenendam habendam utifruendam et pacifice perpetuo possidendam Ita tamen quod ipsi Cives Welunen in eadem villa Marzinkowice Agros Mansos seu
laneos mensura Magdburgensi dimensurari debent Ipsaque villa Marzinkowice eodem Jure gaudere debet et ei subiacere quo Civitas Welunen predicta modo gaudet et potitur Ceterum decernimus quod memorati Cives
tas Welunen de quolibet Manso seu laneo Agrorum dicte ville Marzinkowice per unam Marcam pro Censu in quolibet festo Beati Martini Confessoris omnibus et singulis Annis nobis et successo
ribus nostris solvere perpetuis temporibus tenebuntur Racione vero translacionis ville Marzinkowice prelibate prefatis Civibus Welunen ab omnibus Censibus quos nobis in festo beati Martini de laneis et Agris dicte
ville Marzinkowice de Anno presenti solvere debent ad spacium dumtaxat unius Anni integri videlicet a festo beati Martini Confessoris prime nunc venturo usque ad aliud festum eiusdem beati Martini Anni
futuri plenam damus et concedimus facultatem Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum Actum Cracovie Sabbato proximo post diem Assumpcionis Beate Marie Virginis
gloriose Anno domini Millesimo Trecentesimo Nonagesimo Octavo Presentibus hijs Johanne de Thanczyn Castellano Cracoviensi Johanne de Tharnow Sandomiriensi Sandzywogio Kalissiensi
Johanne Liganza Lanciciensi palatinis Cristino de Ostrow Sandomiriensi et Petro Kmythe Lubliniensi Castellanis alijsque multis nostris fidelibus fidedignis Datum per manus Reverendi in Christo patris domini
Nicolai Episcopi Poznaniensis nobis sincere dilecti

ad rel. Clementis vicecancellarii

1390

ad villam marcian Povy

Archiv 3m